

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

M. Tvllivs Cicero Mannvcciorvm Commentariis Illvstratvs antiquaeq. lectioni restitutus

Continens De Philosophia Volumen Secundum

Cicero, Marcus Tullius

Venetiis, 1583

In M Tvillii Ciceronis Librvm De Fato. Commentarius Aldi Mannuccij.

[urn:nbn:de:gbv:45:1-770553](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-770553)



I N

M. TVLLII. CICERONIS

LIBRVM

DE. FATO

Commentarius Aldi Mannuccij.



ARGVMENTVM

Quia moralem philosophiae partem Cicero sibi Latinis litteris illustrandam, suisq. ciuibus tradendam sumpsisset, ut ipse Tusculanarum disputationum principio testatur; consequens erat, ut & libros de natura deorum, de diuinatione, ac de fato scriberet, quod colligitur ex principio libri secundi de diuinatione: pertinet enim ad moralem philosophiam Fati disquisitio, quia, si fati necessitas ulla esset, frustra praeciperetur de moribus, qui praeceptis adiuuari nihil possent. Maxime uero id sibi faciendum, quod magnis contentionibus pendentibus ex ratione differendi res ipsa sit obscura. Quare Posidonium, Diodorum, Epicurum, Carneadem & ueteres philosophos de fato disputantes, sed eos tamen Cicero omnium arbiter conciliat, ostendens ad eundem exitum omnes uenire, uerbisque, & non re dissentire. Epicuri tamen modum philosophandi grauius increpat, ut qui ea dicat, quae omnium mentes refugiant, & aspernentur.

CICERO



VIA pertinet ad mores, quos ἠθῆν Graeci uocant, nos eam partem philosophiae de moribus appellare solemus. sed decet auentem linguam Latinam nominare moralem. explicanda uis est, ratioq. enunciationum: quae

quod cuique maxime probabile uideretur; in hac disputatione de Fato, casus quidam, ne facerem, impediuit. nam, cum essem in Puteolano, Hirtiusq. noster, consul designatus, iisdem in locis, uir bonus, & nobis amicissimus, & hys studijs, in quibus nos a pueritia uiximus, deditus; multum una eramus, maxime nos quidem exquirentes ea consilia, quae ad pacem, & ad concordiam ciuium pertinerent. cum enim omnes, post interitum Caesaris, nouarum perturbationum causae quaeri uiderentur; hisq. esse occurrendum putaremus: omnis fere nostra in his deliberationibus consumebatur oratio: idq. & saepe alias, & quodam liberiore, quam solebat, & magis uacuo ab interuentoribus die, cum ille ad me uenisset, primo illa, quae erant quotidiana, & quasi legitima nobis, de pace, & de otio. quibus acceptis, Quid ergo, inquit ille, queniam oratorias exercitatio

Graeci ἀέτιωματα uocant: quae de re futura cum aliquid dicunt, deq. eo, quod possit fieri, aut non possit, quam nim habent, obscura quaeestio est: quam περί δυνατων appellat: totaq. est δυναμις: quam rationem differendi uoco. quod autem in alijs libris feci, qui sunt de natura deorum, itemq. in hys, quos de diuinatione edidi, ut in utramque partem perpetua explicaretur oratio, quo facilius id a quoque probaretur,



nes non tu quidem, ut spero, reliquisti, sed certe philosophiam illis anteposuisti, possum ne aliquid audire? Tu vero, inquam, uel audire, uel dicere. nec enim, quod recte existimas, oratoria illa studia deserui; quibus etiam te incendi, quamquam flagrantissimum, acceperam: nec ea, quae nunc tracto, minuunt, sed augent potius illam facultatem. nam cum hoc genere philosophiae, quod nos sequimur, magnam habet orator societatem: subtilitatem enim ab Academia mutuatur, & ei uicissim reddet ubertatem orationis, & ornamenta dicendi. quamobrem, inquam, quoniam utriusque studij nostra possessio est; hodie utro frui malis, optio sit tua. Tum Hirtius, Gratissimum, inquit, & tuorum omnium simile. nihil enim umquam abnuuit uoluntas tuo meo studio. sed, quoniam mihi rhetorica uestra sunt nota; teq. in

his & audiuius saepe, & audicimus; atque hanc Academicorum contra propositum disputandi consuetudinem indicant te suscepisse Tusculanae disputationes: ponere aliquid, ad quod audiam, si tibi non est molestum, uolo. An mihi, inquam, potest quidquam esse molestum, quod tibi gratum futurum sit? sed ita audies, ut Romanum hominem, ut timide ingredientem ad hoc genus disputandi, ut longo interuallo haec studia repetentem. Ita, inquit, audiam te disputantem, ut ea lego, quae scripsisti. proinde ordire.

Multa desunt.

EXPLANATIO



Quia pertinet & Similiter Aristoteles principium induxit lib. i. Polit. *Ἐπειδὴ πᾶσαν πόλιν ὁρῶμεν κοινωνίαν τινὰ ὄνσαν* Quos ἦθη & ἦθος significat mores, id est uirtutes, uitia, & omnes denique habitus, & affectus animi. **MORALEM** & ἠθικὴν philosophiam nouo, siue deducto nomine reddit moralem; quod superiores periphrasi dicebant, de moribus. **Vis, ratioque enunciationum**: cum de hac re parum conueniret inter Chrysippum, & Diodorum. **Enunciationum**: Enunciatio est oratio uerum saluum ue significans. Dicitur etiam Enunciatum, sicut Effatum. **Ἀξιόματα** & uocabulum Stoicorum. Aristoteles ἀπόφανσιν, siue ἀποφαντικὸν λόγον. **Quam uim habeant** & An, quod futurum dicunt, sit necessarium. *περὶ δυνατῶν* & Titulus fuit Graecis philosophis uisatus in hac quaestione, sicut hodie Christianis est, de libero arbitrio. *δυνατῶν* inquit Quintilianus, cap. 111. de suasoria, & prosopopeia, nostri possibile nominant, quae ut dura uidetur appellatio, tamen sola est. **Totaque est λογικὴ** & tota pendet ex ratione differendi. **Quod autem** & Prolepsis, quod haec de Fato disputatio non in utramque partem disputetur perpetua oratione. **De natura deorum** & ad quem philosophiae locum cum pertineat disputatio de Fato, aliter tractari non deberet. **In utramque partem** & qui mos fuit Academiae nouae, quam maxime probauit Cicero. **PERPETUA** & non interrupta, sed libere persequens, quod suscepit usque ad extremum. **In Puteolano** & Notat Cicero reliquas circumstantias, nunc locum, In Puteolano, postea tempus, Post interitum Caesaris. Puteolanum ea forma dictum est, qua Tusculanum, Campanum, ubi uel agrum, uel campum intelligas. **HIRTIVS** & In tertia Philippica Hirtium, & Pansam designatos consules appellat. Fuit autem Ciceronis discipulus, ut ix. lib. ad Papium scribit Cicero: Hirtium inquit, & Dolabellam dicendi discipulos habeo, cenandi magistros. Puto enim te audisse, si forte ad uos omnia perferuntur, illos apud me declamitare, me apud eos cenitare. **Et jis studijs deditur** & Ineptus uideatur, si de philosophia conferret cum eo, qui ab ea esset alienus. **Idq. & saepe alias** & scilicet fecimus. **INTERVENTORIBVS** & Qui nobis aliquid egentibus interueniunt, Interuenientes dicuntur. alibi Interpellatores appellat, ut ad Atticum: Sed interpellatores illic minus molesti. Et in off. Dicitur se hortulos emere uelle, ubi se oblectare sine interpellatoribus possit. **LEGITIMA** & usitata ueluti legis praescripto. Additur, Quasi ad innuendam translationem. **QUIBVS ACCEPTIS** & auditis. **Nec ea, quae nunc tracto** & Philosophiae coniunctione augetur eloquentia. Sic i. Tusc. ait Aristot. exemplo se cum eloquentia philosophiam coniungere: & in Oratore negat eloquentiam perfectam fore sine philosophia. **ALIQUID** & aliquid quam tuam commentationem, & disputationem de philosophia. **VEL AUDIRE, UEL DICERE** & ut libuerit me audies, aut ipse declamabis. **GENERE philosophiae** & scilicet moralis. **SVBTLITATEM** & haec ad inuentionem spectat, sicut prudentia ad dispositionem inuentorum in enunciatione. **REDDIT ubertatem** & Ita Cicero ad Brutum in Paradoxis: Ea nos philosophia plus utimur, quae peperit dicendi copiam, & in qua dicuntur ea, quae non multum discrepant ab opinione populari. **QUONIAM nostra possessio est** & Verbis utitur iuris ciuilibus. Quoniam, inquit, Academici, & oratores sumus. **GRATISSIMUM** & subaudi, Mihi est. Laudat Hirtius Ciceronis liberalitatem, & optionis sibi factae partem alteram remouet, ut retineat alteram. Non declamemus inquit, sed philosophemur. **RHETORICA** & ad rhetoricam spectantia. **CONTRA PROPOSITUM** & contra aliorum sententias propositas. **TUSCULANAE disputationes** & In Tusculana uilla habitae. Ex hoc loco perspici potest, inscriptionem Tusculanarum esse potius, disputationum, quam, quaestionum. **AN MIHI** & concludit exordium modesta, & decora sui extenuatione. **UT Romanum hominem** & studijs scilicet politicis magis deditum, quam scholasticis disputationibus. Erat enim Romanorum hominum in militaribus, & politicis studijs se occupare, sicut Graecorum in disputationibus philosophicis uersari. **PROINDE ordire** & Plurima hic deesse nemo uidet. Nec enim quaestio de more ponitur, quae fuerat ante illa, Proinde ordire, & apparet contra Stoicos Fati assertores Posidonium, & Chrysippum fuisse disputatum, quia de Posidonij argumentis quaedam hic recolliguntur: & Cicero tandem dicit, Videamus in assensionibus, quas prima oratione tractauit.

tractauit. At de assensionibus hic nullum uerbum est. Stoicorum autem capita fatum probantia hodie apud Plutarchum exstant. In aduersario genere, inquit, prima, ac praecipua captio uidetur esse. Nihil absque causa fieri, sed omnia fieri antecedentibus causis: altera, Mundum administrari natura, ipsum sibi consentientem, & conspirantem: tertia, testimonium quoddam potius uidetur esse. Aduocatur enim primum diuinitas, quae cum hominum opinione floret, tum in Deo opt. max. re uera uiget, deinde in ijs, quae eueniunt, sapientum hominum approbatio omnia recte ordineque fieri praedicantium: postremo peruagatum illud, Pronunciatum omne uerum, uel falsum esse. Sed, ut captiosa Plutarchus censet, ita a Cicerone hic refutantur.

C I C E R O

CONSIDERAMVS, Hirti, quorum in alijs, ut in Antipatro poeta, ut in brumali die natis, ut in simul aegrotantibus fratribus, ut in urina, ut in unguibus, ut in reliquis eiusmodi naturae contagio ualet: quam ego non tollo: uis est nulla fatalis. in alijs autem fortuita quaedam esse possunt, ut in illo naufrago, ut in Icadio, ut in Daphita. quaedam etiam Posidonius (pace magistri dixerim) comminisci uidetur. sunt inquam quidem absurda. quid enim? si Daphitae fatum fuit, ex equo cadere, atque ita perire; ex hoc ne equo, qui cum equus non esset, nomen habebat alienum? aut Philippus haec in capulo quadrigulis nitare monebatur: quasi uero capulo sit occisus. Quid autem magnum, naufragum illum sine nomine in riuo esse lapsum? quamquam huic quidem hic scribit praedictum, in aqua esse pereundum. Ne Hercule Icadij quidem praedonem uideo fatum ullum: nihil enim scribit ei praedictum. quid mirum igitur, ex spelunca saxum in crura eius incidisse? puto enim, etiam si Icadius tum in spelunca non fuisset, saxum tamen illud casurum fuisse. nam aut nihil est omnino fortuitum; aut hoc ipsum potuit euenire fortuna. Quaero igitur, atque hoc late patebit, si fati omnino nullum nomen, nulla natura, nulla uis esset, & forte, temere, casu aut pleraque fierent, aut omnia: num aliter, ac nunc eueniunt, euenirent? quid ergo attinet inculcare fatum, cum sine fatore ratio omnium rerum ad naturam, fortunam ue referatur? Sed Posidonium, sicut aequum est, cum bona gratia dimittamus: ad Chryssippi laqueos reuertamur. cui primum quidem de ipsa rerum contagione respondeamus: reliqua postea persequemur. Inter locorum naturas quantum interfit, uidemus, alios esse salubres, alios pestilentes, in alijs esse pituitosos, & quasi redundantes, in alijs exsiccatos,

atque aridos: multaque sunt alia, quae inter locum, & locum plurimum differant: Athenis tenue caelum, ex quo acutiores etiam putantur Attici: crassum Thebis, itaque pingues Thebani, & ualentes, tamen neque illud tenue caelum efficiet, ut aut Zenonem quis, aut Arcesilam, aut Theophrastum audiatis neque crassum, ut Nemea potius, quam Isthmo uictoriam petat. distunge longius. quid enim loci natura afferre potest, ut in porticu Pompeij potius, quam in campo, ambulemus? tecum, quam cum alio? idibus potius, quam kalendis? ut igitur ad quasdam res natura loci pertinet, ad quasdam autem nihil: sic affectio astrorum ualeat, si uis, ad quasdam res, ad omnes certe non ualebit. at enim, quoniam in naturis hominum dissimilitudines sunt, ut alios dulcia, alios subamara delectent; alij libidinosi, alij iracundi, aut crudeles, aut superbi sint, alij talibus uitijs abhorreant: quoniam igitur, inquit, tantum natura a natura distat; quid mirum est, has dissimilitudines ex differentibus causis esse factas? haec differens, qua de re agatur, & in quo causa consistat, non uidet. non enim, si alij ad alia propensiores sint propter causas naturales, & antecedentes; ideo etiam nostrarum uoluntatum, atque appetitionum sunt causae naturales, & antecedentes. nam nihil esset in nostra potestate, si ita res se haberet: nunc uero fatemur, acuti, hebetes ne, ualentes, imbecilli ne simus, non esse id in nobis. qui autem ex eo cogi putat, ut ne sedeamus quidem, aut ambulemus uoluntatis esse; is non uidet, quae quamque res consequatur. ut enim & ingeniosi, & tardi ita nascantur antecedentibus causis, itemque ualentes, & imbecilli: non sequitur tamen, ut etiam sedere eos, & ambulare, & rem agere aliquam, principibus causis definitum, & constitutum sit.

EXPLANATIO

CONSIDERAMVS? Sequitur Fati assertio, ex duabus sententijs Posidonij, & Chryssippi: prima est Posidonij, qui confirmare uoluit Fatum contagione naturae, & fiderum affectione. Fuit autem Posidonius Stoicus in primis nobilis, de quo Cicero secunda Tusculana: ad quem audiendum, licet aegrotum, & in lectulo iacentem, tamen Rhodum diuertit Pompeius, tum Orientis spolijs, & uictorijs superbus: intraturusque fores de more percuri a lictore ueruit, & faeces lictorios ianuam summisit is, cui se Oriens, occidensque summiserat. Plin. lib. vii. cap. 30. ANTIPATRO? Antipater Sidonius poeta, omnibus annis uno die natali tantum corripiebatur febre, & eo consumptus est fatis longa senectus. Plin. lib. vi. cap. 51. Natali suo certo illo circuitu morbi consumptus est. Val. Max. lib. i. cap. 8. BRUMALI die nati? quo Pulegium aridum floret in carnarijs, ait Plin. lib. xviii. cap. 25. quod idem ait Cicero ii. de Diuinat. & refert ad contagionem. AEGROTANTIBVS fratribus? Diuus Augustinus de Ciuit. Dei lib. v. cap. 2. & 3. sic ait: Cicero dicit Hippocratem nobilissimum medicum scriptum reliquisse, quosdam fratres, cum simul aegrotare coepissent, & eorum morbus eodem tempore ingrauesceret, eodem leuaretur, geminos suspicatum: Quos Posidonius Stoicus, multum Astrologiae deditus, eadem constitutione astrorum natos, eademque conceptos solebat asserere &c. UT in urina, & in unguibus? Ex urina, & unguibus medici per multa augurantur. Plin. lib. xxvi. cap. 6. Auguria

guria naletudinis ex urina traduntur, si mane candida, dein rufa fit, illo modo concoquere, hoc concoxille significatur: mala signa rubrae, pessima nigrae: mala bullantis, & crassae, in qua quod subsidit si alba est significatur circa articulos, aut uiscera dolorem imminere: eadem uiridis, morbum uiscerum, pallidabilis, rubens sanguinis: mala & in qua furfures, atque nubeculae apparent: diluta quoque alba uitiosa est, mortifera uero crassa graui odore, & in pueris tenuis, ac diluta. Ex unguibus mollibus ingenium colligunt: ex curuis, & concavis imprudentiam, & ignorantiam: ex candidis probitatem, honores, opes: ex nigris contraria: ex deciduis lepram. NATVRAE *contagio* & Naturae conuenientia, quae contactu afficit, quasi magnes contactum ferrum: hinc & pestilens morbus Contagium dicitur, de quo querens Aristoteles in Probl. cur afficiat eos, qui ad laborantes eo morbo prope accesserint, subdit, An quod is solus omnium morborum communis omnibus hominibus est? Itaque pestem facile omnibus infert, qui scilicet deprauato iam habitu sunt: fit enim, ut morbo cubantis ueluti quodam fomite succedente, uitium illud proterius exfultet, concipiaturque, in alijs. *Contagio*: concentus, cognatio, coniunctio, consensus naturae, Graecis *συμβαλεια* dicitur: ut Cicero de diuinat. interpretatur. *Vis est nulla fatalis* & Negat ex contagione Naturae, quam concedit Fatum probari. *In alijs* & scilicet exemplis. ICADIO & de Icadio praedonem laxi ruina interfecto Cicero paulo post Icadiam saeuissimum piratam fuisse scribit Sextus Pompeius. DAPHITA & Val. Max. Daphidam uocat, quam iussu regis Attali ab eo contumeliosus dictis saepenumero lacessiti e saxo cui Equi nomen erat praecipitatum fuisse scribit. Strabo uero lib. xlv. scribit in Thorace monte crucifixum fuisse Daphidam grammaticum, propterea quod reges uersibus incesseret. Ex quo natum illud, Caue Thoracem. uersus autem hos ponit:

Πορφύρεοι μάλιστας Ἀπορίνιματα γάλας
 Αυσιδάχης Ἰδῶν ἀρχετέ καὶ φρυγίης.

Purpurei stimuli faex ultima diuitiarum

Lyfymachi, Lydos subditis, & Phrygiam.

PACE *magistri* & Posidonij. de quo libro 1. de Nat. de. Et principes illi Diodotus, Philo, Antiochus, Posidonius, a quibus instituti sumus. PHILIPPVS & Val. de Oraculo: Eodem oraculo Macedonum rex Philippus admonitus, ut a quadrigae uolentia salutem suam custodiret, toto regno disingui currus iussit, eumque locum, qui in Boeotia Quadriga uocatur semper uitauit: nec tamen denunciatum periculi genus effugit: nam Pausanias in capulo gladij, quo eum occidit, Quadrigam habuit caelatam. QUADRIGVLAS & Quadrigarum nomine significatur currus quattuor equis iunctus; quales in Circeus ludis certabant. QUID *autem magnum, & naufragum illum sine nomine in riuo esse lapsum?* & Tollenda stellulae nota nescio quo modo e regione posita. Sensus est: Quid mirum est, naufragum quoque illum in riuo esse lapsum? Intulit autem post uocem Magnum, particulam, Et; propterea quod iam exemplum de Daphita, & de Philippo confutatur: quasi diceret, Praeterea. Haec Paullus pater. SINE *nomine* & cuius nomen Posidonius non posuit, ut fortasse commenticium sit ad libidinem exemplum. QVAERO *igitur* & Concludit refutationem Posidonij: Cum omnium propositorum exemplorum causae referri possint ad naturam, aut ad fortunam, Fato nihil opus est. LATE *patebit* & non ad hoc tantum exemplum pertinebit. Si *fati omnino* & Eius, quod fieri potest. SED *Posidonium* & Secunda fati assertio sequitur, quae est Chryssippi. LAQVOS & captiosas conclusiones. Erat enim Chryssippus callido & acutissimo ingenio, qui, ut inquit Cicero lib. 11. Academ. quae est fulcire uidebatur porticum Stoicorum, sicut e contra Epicurus hebes tardus, ac rudis. DE *ipsa rerum contagione* & de qua Posidonio respondimus. LOCORVM *naturas* & Lib. 1. de Diuinat. Sunt partes agrorum aliae pestilentes, aliae salubres, aliae, quae acuta ingenia gignant, aliae, quae retusa: quae omnia fiunt ex caeli uarietate & ex disparili adspiratione terrarum. ALIOS *esse salubres* & ut Crotonem urbem. ALIOS *pestilentes* & ut Sardiniam insulam. REDVNDANTES & superfluentes palustres. TENVE *caelum* & subtilem aeternum. Caelum aer plerumque dicitur: Plinius, Namque & hoc caelum appellauere maiores, quod alio nomine aera. CRASSVM *Thebis* & In aere crasso stupidi, & pingui (ut dicitur) Minerua plerumque sunt, qui nascuntur; sed corpore proceriore, & firmiore adolefcunt. PINGVES, & ualentes & stupidi, & robusti, Vereres in Boeotorum stuporem cauillantes Suem Boeoticam dicebant. CRASSVM & ualentem, fortem, robustum, certationibus corporum aptiorem. NEMEA & In Nemea filua Achaiae certamina sacra erant Herculi. ISTHMO & Isthmus proprie terra est angusta inter duo maria, ut Porthmos mare angustum inter duas terras. sumitur hic pro Isthmo Corinthiaco ubi certamina sacra erant Neptuno. AFFERRE & impellere. IN *porticu Pompeij* & Porticus Pompeij ad similitudinem Amphitheatri Romae erat amplissima, cuius meminit Plinius lib. xxvi. cap. 15. IN *Campo* & Martio. IDIBVS & medio mense. KALENDIS & prima die mensis. VT *igitur* & Concludit refutationem contagionis, quod non omnia fiant necessitate uel naturae, uel astrorum; causasque naturales disciplina domari posse. AT *enim* & Proponit argumentationem Chryssippi. HAEC *differens* & Reprehensio argumentationis Chryssippi quod alienam rem concludat, non propriam quaestionem. NON *enim* & Obiectioni Chryssippi respondet. IN *nostra potestate* & Hoc contra Chryssippum, qui tamen fatum probabat retinebat liberum arbitrium, ut erit in fine libri huius. IN *nobis* & in nostra potestate. VT *autem* & Distinguit naturalium causarum effectus, ab effectibus uoluntariarum. VT *enim* & quamuis enim. PRINCIPALIBVS & naturalibus, antecedentibus.

C I C E R O

STYLPONEM Megaricum, philosophum, acutum sane hominem, & probatum temporibus illis, accepimus. hunc scribunt ipsius familiares & ebriosum, & mulerosum fuisse: neque hoc scribunt uituperantes, sed potius ad laudem: uitiosam enim naturam ab eo sic edomitam, & compressam esse doctrina, ut nemo umquam uinolentum illum, nemo in eo libidinis uestigium uiderit. Quid? Socratem non ne legimus quemadmodum notarit Zopyrus physiognomon, qui se profitebatur hominum mores, naturasq. ex corpore, oculis, uultu, fronte pernoscere? **Aupidum** esse Socratem dixit, & **bardum**, quod iugula concava non haberet: obstructas eas partes, & obturatas esse dicebat: addidit etiam, mulerosum: in quo Alcibiades cachinnum dicitur susulisse. sed haec ex naturalibus causis uitia nasci possunt: exstirpari autem, & funditus tolli, ut is ipse, qui ad ea propensus fuerit, a tantis uitijs auocetur, non est id positum in naturalibus causis, sed in uoluntate, studio, disciplina. quae tolluntur omnia, si uis & natura fati ex diuinationis ratione firmabitur. etenim, si est diuination, quibusnam a perceptis artis proficiscitur? percepta appello, quae dicuntur Graece *θεωρηματα*. non enim credo nullo percepto aut ceteros artifices uersari in suo munere, aut eos, qui diuinatione utantur, futura praedicere. sunt igitur astrologorum percepta huiusmodi. si quis, uerbi causa, oriente canicula natus est, is in mari non morietur. uigila, Chryssippe, ne tuam causam, in qua tibi cum Diodoro, ualente dialectico, magna luctatio est, de seras. si enim uerum est, quod ita connectitur; si quis oriente canicula natus est, in mari non morietur: illud quoque uerum est; si Fabius oriente canicula natus est, Fabius in mari non morietur. pugnant ergo haec inter se, oriente canicula natum es-

se, & in mari Fabium moriturum: & quoniam certum in Fabio ponitur, ortum esse eum canicula oriente; haec quoque pugnant, & esse Fabium, & in mari moriturum. ergo haec quoque coniunctio est ex repugnantibus, & est Fabius, & in mari Fabius morietur. quod ut propositum est, ne fieri quidem potest: ergo illud, morietur in mari Fabius, ex eo genere est, quod fieri non potest: omne ergo, quod falsum dicitur in futuro, id fieri non potest. at hoc Chryssippe minime uis: maximeq. tibi de hoc ipso cum Diodoro certamen est. ille enim id solum fieri posse dicit, quod aut sit uerum, aut futurum sit uerum: & quidquid futurum sit, id dicit fieri necesse esse; & quidquid non sit futurum, id negat fieri posse. tu, & quae non sint futura, posse fieri dicis; ut frangi hanc gemmam, etiam si id numquam futurum sit: neque necesse fuisse Cypselum regnare Corinthi, quamquam id millesimo ante anno Apollinis oraculo editum esset. at si ista comprobabis diuina praedicta: et quae falsa in futuris dicuntur, in his habemus, ut ea fieri non possint: ut si dicatur Africanum Carthagine potiturum, etsi uere dicatur de futuro, id quod futurum sit, dicas esse necessarium. quae est tota Diodori uobis inimica sententia. etenim, si illud uere connectitur, si oriente canicula natus es, in mari non moriere; primumque, quod in connexo, natus es oriente canicula, necessarium est; omnia enim uera in praeteritis necessaria sunt, ut Chryssippo placet dissentienti a magistro Cleanthe, quia sunt immutabilia, nec in falsum e uero praeterita possunt conuerti. si igitur quod primum in connexo est, necessarium est, fit etiam quod consequitur necessarium. quamquam id Chryssippo non uidetur ualere in omnibus. sed tamen, si naturalis est causa cur in mari Fabius non moriatur, in mari Fabius mori non potest.

EXPLANATIO

STYLPONEM & Stilpo fuit Euclidis discipulus, Zenonis Stoici magister, cuius uita est lib. 11. apud Laetium. **EBRIOSVM** & naturaliter procliuem ad ebrietatem. **QVID?** Socratem & Alterum exemplum, quo apparet naturales uitiorum causas uoluntarijs studijs edomari. **NOTARIT** & indicarit. **QVI se profitebatur** & Physiognomi definitio. **BARDVM** & ingenio rudem, & tardum. **IVGVLA** & ita dicuntur concavitates in extrema thoracis parte sub clauibus, quae *σπυγαι* Graece dicuntur. **ALCIBIADES** & Atheniensis, princeps, Socratis auditor, dialogis Platonis abunde celebratus. **SED haec** & Concludit naturales causas uoluntarijs studijs domari posse. **QVAE tolluntur omnia**, & Posito Fato, & ex diuinatione constituto, nullus relinquetur locus uoluntati, studio, disciplinae. Diuination enim non erit, nisi quaecumque futura praedicerentur necessario eueniant. **Ex diuinationis ratione** & Alterum caput, quo Stoici confirmant Fatum. **PERCEPTIS** & obseruatis experiencijs, ex quibus principijs constat ars praedicendi. **CANICVLA** & Minore cane, quae, quia oritur ante maiorem canem, Anticanis etiam dicitur, & a Graecis Procyon. Ab ea dies caniculares dicuntur, & quamdiu Sol in ipsa est pestifera. **VIGILA** & Apostrophe ad Chryssippum iocularia quasi in hac quaestione succumbentem Diodoro. **DIODORO** & Plures fuere huius nominis. Hic autem Diodorus uidetur esse Cronus cognominatus, qui primus fertur inuenisse in uolutum & cornutum dicendi genus, qualis erat in primis hoc libro ipsius disputatio. Vide Laetium in secundo. **MAGNA luctatio** & Metaphora est ab Athleticis. **SI enim** & Sequuntur Diodori laquei aduersus Chryssippum, ualde contorti: Sorites est septem graduum. **SI Fabius** & Yeteres in exemplis hominum liberorum Fabij nomen usurpare solebant Cicero lib. 11. de diuinat. **Q. Fabi te mihi in auspicio esse uolo.** In Topicis, Si ita Fabiae pecunia legata est a uiro. In seruis Manium dicere solebant Cato de re Rust. Cum diuis uolentibus, quodque bene eueniat, Mando tibi, Mani. **PUGNANT** & contraria sunt **CONIUNCTIO** & Enunciatio coniunctione copulatiua coniuncta. **OMNE ergo** & Hic postremus

mus sorte gradus concluditur. At hoc ꝛ Comparat apertius Diodori, Chrysippiq. sententiam. CYPSELYMꝛ Cypselus tyrannus fuit Corinthiorum, de quo Arist. in Polit. & Cicero Tule. v. Demaratus, inquit, Tarquinij regis pater Tyrannum Cypselum, quod ferre non poterat, fugit Tarquinius Corintho, & ibi fortunas suas constituit, ac liberos procreauit. Historia narratur apud Herod. quomodo genitus sit ex Aetione, & Labda, & regnum sit ei praedictum ab Apolline. At si ista comprobabis ꝛ Si ueram statues diuinationem. Quoniam Diodorum, & Chrysippum committit inter se Cicero, finge pro Diodoro Ciceronem sic agere. In his habemus ꝛ in his, quae praedicta sunt fore falsa, inest, iuxta sententiam nostram, necessitas quaedam. Vt si dicatur ꝛ exemplum ab opposito. AFRICANVM ꝛ Scipio maior Carthaginem tributariam Romanis reddidit, minor eam deleuit. ET ENIM ꝛ Repetit astrologicum diuinationis exemplum, & complexionem ex eo factam necessariam esse contendit ex syllogismi quadam circumstantia, in qua si uera sit propositio, & assumptio necessaria, necessaria quoque sit complexio. DISSENTIENTI a magistro Cleanthe, ꝛ Chrysippus praeterea propter immutabilitatem necessaria existimabat, At Cleanthes eius magister necessitatem metuebatur non ex immutabili conditione temporis, sed potius ex natura rerum. Itaque natus est Fabius oriente Canicula, ei necessarium non uidebatur. Fuit Cleanthes auditor, & successor Zenonis Stoici. Vita eius est apud Laertium. QUAMQUAM id Chrysippo ꝛ Chrysippi inconstantiam rotare uidetur, qui, ut dictum est, dissentire uoluerit a Cleanthe, & tamen, ut effugiat Diodori laqueos, cum Cleanthe ex rerum natura necessitatem merire cogitur.

C I C E R O

HOC loco Chrysippus aestuans falli sperat Chaldaeos, ceterosq. diuinos, neque eos usuros esse coniunctionibus, ut ita sua percepta pronuncient; si quis natus est oriente canicula, is in mari non morietur; sed potius ita dicant, nō et natus est quis oriente canicula, & is in mari morietur. o licentiam iocularem: ne ipse incidat in Diodorū, docet Chaldaeos, quo pacto eos exponere percepta oporteat. quaero enim, si Chaldaei ita loquantur, ut negationes infinitarum coniunctionum potius, quam infinita connexa, ponant; cur idem medici, cur geometrae, cur reliqui facere non possint? medicus in primis, quod erit ei per spectum in arte, non ita proponet; si cui uenae sic mouentur, is habet febrem; sed potius illo modo; non & huic uenae sic mouentur, & is febrem non habet. itemq. geometres non ita dicet; si in sphaera maximi orbis sunt, medij inter se diuiduntur: sed potius illo modo; non & sunt in sphaera maximi orbis, et hi non medij inter se diuiduntur. quid est, quod non possit isto modo ex connexo trāsferri ad coniunctionum negationem? & quidem alijs modis easdem res esse posse. modo dixi, si in sphaera maximi orbis sunt, medij inter se diuiduntur: possum dicere, si in sphaera maximi orbis erunt. possum dicere, quia in sphaera maximi orbis erunt. multa genera sunt enunciandi, nec ullum distortius, quam hoc, quo Chrysippus sperat Chaldaeos contentos Stoicorum causa fore. illorum tamen nemo ita loquitur. maius est enim, has contortiones orationis, quam signorum ortus, obitusque, perdiscere. Sed ad illam Diodori contentionem, quam περὶ δυνατῶν appellant, reuertamur. in qua quid ualeat id, quod fieri possit, anquiritur. Placeat igitur Diodoro id solum fieri posse, quod aut uerum sit, aut uerum futurum sit. qui locus attingit hanc quaestionem; nihil fieri, quod non necesse fuerit; & quid fieri possit, id aut esse iam, aut futurū esse; nec magis commutari ex ueris in falsa ea posse, quae futura sunt, quam ea, quae facta sunt; sed in factis immutabilitatem apparere; in futuris quibusdam quia non apparent, ne inesse quidem uideri: ut in eo, qui mortifero morbo urgeatur, uerum sit, hic

morietur hoc morbo: at hoc idem si uere dicatur in eo, in quo uis morbi tanta non appareat, nibilo minus futurum sit. ita sit, ut commutatio ex uero in falsum ne in futuro quidem ulla fieri possit. nam, morietur Scipio, talem uiam habet, ut, quamquam de futuro dicitur, tamen id non possit conuerti in falsum. de homine enim dicitur, cui necesse est mori. sic si diceretur, morietur noctu in cubiculo suo Scipio, uel oppressus; uere diceretur. id enim fore diceretur, quod esset futurum. futurum autem fuisse, ex eo, quia factum est, intelligi debet. nec magis erat uerum, morietur Scipio, quam, morietur illo modo: nec minus necesse est mori Scipioni, quam illo modo mori: nec magis immutabile ex uero in falsum, necatus est Scipio, quam, necabitur Scipio: nec, cum haec ita sint, est causa, cur Epicurus fatum extimescat, & ab atomis petat praesidium, easq. de uia deducat, & uno tempore suscipiat res duas inenodabiles; unam, ut sine causa fiat aliquid, ex quo exisset, ut de nibilo quippiam fiat; quod nec ipsi, nec cuiquam physico placet: alteram, ut, cum duo individua per inanitate ferantur, alterum e regione moueatur, alterum declinet. licet enim Epicuro, concedenti omne enunciatum aut uerum, aut falsum esse, non uereri, ne omnia fato fieri sit necesse. non enim aeternis causis, naturae necessitate manantibus, uerum est id, quod ita enunciatur: descendit in Academiam Carneades: nec tamen sine causis: sed interest inter causas fortuito antegressas, & inter causas cohibentes in se efficientiam naturalem. ita et semper uerum fuit, morietur Epicurus, cum duo & septuaginta annos uixerit, Archonte Pitarato: neque tamen erant causae fatales, cur ita accideret: sed quod ita cecidisset, certe casurum, sicut cecidit, fuit. nec ij, qui dicunt immutabilia esse, quae futura sint, nec posse uerum futurum conuerti in falsum, fati necessitatem confirmant, sed uerborum uim interpretantur, at, qui introducunt causarum seriem sempiternam, ij mentem hominis, uoluntate libera spoliata, necessitate fati deuinciunt.

EXPLA-

EXPLANATIO

AESTVANS & ualde laborans, nimirum in alienis/etiam caussis se occupans. **FALLI sperat Chaldaeos** & locatur in Chryssippum, qui Chaldaeorum rebus intendat, inde sperans aliquid, quo caussam propriam aliquando tueatur. Chaldaei philosophi erant Assyriorum, qui habitauerunt ad confluentem Tigris, & Euphratis. Eos Cicero 1. de Diuina. recenset primos inuentores Astrologiae. **CONIUNCTIONIBVS** & copulatis propositionibus. **INCIDAT in Diodorum** & in Diodori sententiam laboratur. **INFINITARVM** & infinitum a Cicerone dicitur, quod in schola indefinitum. **PERSPECTVM** & cognitum, & certum. **VENAE** & Plinius lib. xi. cap. 37. Inter neruos latent arteriae, id est, spiritus semitae. His innatant uenae, id est, sanguinis riuus. Cicero 1. de nat. de. Venae, & arteriae micare non desinunt, quasi quodam igneo motu. **Si in sphaera** & Geometra praecipit communiter de omni globo, siue sphaera, & non de sphaera tantum caelesti. Et sicut plures lineae in circulo, quae in medio illum diuidant necesse est, ut & ipsae se inuicem in medio diuidant. sic & in corpore orbiculari si plures orbis describantur, qui in medio illud diuidant, necesse erit, ut & ipsi se inuicem in medio diuidant. **MULTA uenerunt** & Exagitar Chryssippum, quod illustra pronunciationis genera repudiet, & omnium absurdissimum sequatur. lib. 1. de Diuina. de Stoicis ita scribit. Deinde contorquent, & ita concludunt: Non igitur sunt alij, nec significant futura. Hoc asperum dicendi genus, Stoicorum diuina alibi appellat. **STOICORVM causa** & ne Stoicorum praecepta labefactare uideantur, si aliter enuncient. **MAIUS** & difficilius. **SIGNORVM uirtus** &c. & Chaldaeorum studium. **SED ad illam** & Explicat Diodori sententiam, qua contendit, siquid in futuro uerum sit non posse, non euenire. **Nec magis commutari** & Declaratur Diodori sententia comparatione temporis praeteriti cum futuro, quod illic immutabilitas appareat, hic non appareat. **UT in eo** & Expositio comparationis de duobus morbis, altero aperte necessario, altero minus. **ITA fit** & Complexio, quod omne uerum futurum sit necessarium. **MORIENTVR scipio** & Aemilianus, qui cum Flacco, Graccho, & Carboni fortis, ualensq; aduersatus esset, postridie mortuus inuentus est in cubiculo. Et uim Carbo attulisse existimatus est, ut scribit Cicero ad Paetum, quod & hic sequitur. Alij uenenum ei ab uxore Sempromia Gracchi sorore datum suspicari sunt. Linius lib. lxx. **Nec magis erat uerum** & Colligitur triplex comparatio de uero, necessario, immutabili. **VERVM** & necessarium intellige: nam & subdit, Nec minus necesse est: quod perinde est, ac si dicat, Nec minus uerum est. **CVM haec ita sint** & Quamquam enunciationes necessitatem ueri, uel falsi habent. **EPICVRVS** & Tres de fato sententiae disputatae sunt Posidonij, & Chryssippi, qui fatum confirmant, ac Diodori fatum oppugnantis. Nunc de Epicuro agitur. **EXTIMESCAT** & nam fatum Epicurus confirmari putabat, si omnis enunciatio non esset, uel falsa, ideoque omnem enunciationem ueram, uel falsam esse negauit, & motum declinationis Atomorum induxit, cuius ope fatum tollatur. **INENODABILES** & indisolubiles. **Nec cuiquam physico** & Cum ceteris physice Epicurus ex nihilo nihil fieri, nec in nihilum quidquam reuerti celebrat in epistola ad Herodotum, de physicis, & ipse Epicurus Lucretius lib. 11. ita cecinit,

De nihilo quoniam fieri nil posse uidemus.

Dvo indiuidua & ita Cicero appellat Atomos Epicureos. Atomi proprie sunt corpuscula illa aerea, quae sursum deorsum, ac fortuito ferri solaribus radijs conspiciuntur. eorum motum deorsum naturalem appellat Epicurus, uolentem uero huic oppositum tertium, denique fortuitum, & declinationem: iuxta triplicitatem aeris a Stoicis celebratam. Tres hosce motus Lucretius lib. 11. amplissime describit, & Cicero hoc libro complectitur. **Indiuidua uocat aerea illa corpora**, quae oppositis motibus feruntur sursum deorsum, & a Stoicis maris, ac feminae nominibus decorantur Neptuni scilicet, ac Iunonis. **PER inanitatem** & per caeli spatium indiuidua comprehendentem. **LICET enim Epicuro** & Hic se Cicero patronum praebet Epicuro, & docet eum Chryssippo melius respondere potuisse ex distinctione causarum, quia non se queretur, si diceret Epicurus fortuitis caussis omnia fieri, ut iccirco sine caussis fieri diceret. adfuit enim causae uoluntariae, in quibus nulla inest necessitas, id quod exemplo Carneadis ostendit non necessitate descendens in Academiam, nec tamen sine caussis. Carneades nouae Academiae philosophus, & dialecticus acerrimus fuit, nec ullam rem umquam in suis disputationibus defendat, quam non probarit, nullam oppugnavit, quam non euerterit, ut ait Cicero 11. Orat. **DESCENDIT in Academiam** & ab Athenis edito loco sitis, in Academiam descendebatur. Ita & Cicero in Tusculano Lyceum nitidum edito loco, Peripateticos imitatus, sibi constituerat, & in Tusculani parte inferiore umbriferam Academiam Platonicorum more. de quibus in primo de diuinatione sic refert: Nuper, cum essem cum Q. fratre in Tusculano, disputatum est. nam, cum ambulandi causa in Lyceum uenisset, id enim superiori gymnasio nomen est, &c. Et in Tuscul. 11. Ut enim in Academiam nostram descendimus inclinatio, iam in pomeridianum tempus die, &c. Diuiditur lectis philosophia, nec mirum cum diuidantur etiam nauigatio, alij enim maiore arcto fidunt, ut qui Peloponnesum incolunt: alij uero minore arcto, ut Phoenices, qui & uirtus nauigare dicunt. Auctor est Aelianus lib. 1x. de Varia hist. Cum quidam ex medicis Platoni consilium daret, ut relicta Academia loco pestilentissimo in Lyceum scholam transferret respondisse, se producendae uitae causa, ne in Atho quidem summitatem transmigrare uelle. **FORTUITO autem gressas** & superius causas antecedentes, & principales nominauit. in quibus nihil est definitum necessitate fatali. **ARCHONTE Pitarato** & Morem Atheniensium Cicero Graeca dictione, sed Latine declinata expressit. ut enim Romae, per consules Fasti praescribentur, & anni sic Athenis per Archontes. Sic cum de Gallicis quibusdam proprijs rebus Caesar loquitur uocabulis Gallicis utitur forma dumtaxat Latina expressit, ut

sis, ut constat de Soldurijs de Vergobreto Aeduorum. Suidas auctor est Archontes fuisse nouem. Nec ijz Dio-
dorum inquit fatum non consti tuisse, sed quaesiuisse, quae uis earum enunciationum esset, in quibus aliquid
fieri posse, aut non posse dicebatur. At qui introducunt z ut Stoici.

C I C E R O

SED haec haecenus: alia uideamus. Concludit enim Chrysippus hoc modo: si est motus sine causa, non omnis enunciatio, quod ἀξιωμα dialectici appellant, aut uera, aut falsa erit. causas enim efficientes quod non habebit, id nec uerum, nec falsum erit. omnis autem enunciatio aut uera, aut falsa est: motus ergo sine causa nullus est. quod si ita est, omnia, quae fiunt, causis fiunt antegressis: id si ita est, fato omnia fiunt: efficitur igitur fato fieri quaecumque fiant. Hic primum si mihi libeat assentiri Epicuro, & negare omnem enunciationem, aut ueram esse, aut falsam, eam plagam potius accipiam, quam fato omnia fieri comprobem. illa enim sententia aliquid habet disputationis, haec uero non est tolerabilis: itaque contendit omnes ueruos Chrysippus, ut persuadeat omne ἀξιωμα aut uerum esse, aut falsum. ut enim Epicurus ueretur, ne, si hoc concesserit, concedendum sit, fato fieri quaecumque fiant; si enim alterutrum ex aeternitate uerum sit, esse id etiam certum; & si certum, etiam necessarium; ita & necessitatem, & fatum confirmari putat: sic Chrysippus metuit, ne, si non obtinuerit, omne, quod enuncietur, aut uerum esse, aut falsum, omnia fato fieri possint ex causis aeternis rerum futurarum. sed Epicurus declinatione atomi uitari fati necessitatem putat. itaque tertius quidam motus oritur extra pondus, & plagam, cum declinat atomus interuallo minimo. id appellat ἐκχρισον. quam declinationem sine causa fieri, si minus uerbis, re cogitur confiteri. non enim atomus ab atomo pulsa declinat: nam, qui potest pelli alia ab alia, si grauitate feruntur ad perpendicularum corpora indiuidua, rectis lineis, ut Epicuro placet sequitur enim, ut, si alia ab alia numquam depellatur, ne contingat quidem alia aliam. ex quo efficitur, ut iam si sit atomus, eaq. declinet, declinare sine causa. hanc rationem Epicurus induxit ob eam rem, quod ueritus est, ne, si semper atomus grauitate ferretur naturali, ac necessaria, nihil liberum nobis esset, cum ita moueretur animus, ut atomorum motu cogereetur. Hinc Democritus, auctor atomorum, accipere maluit,

necessitate omnia fieri, quam a corporibus indiuiduis naturales motus auellere. Acutius Carneades, qui docebat posse Epicureos suam causam sine hac commenticia declinatione defendere. nam, cum doceret esse posse quendam animi motum uoluntarium; id fuit defendi melius, quam intrudere declinationem, cuius praesertim causam reperire non possunt. quo defenso, facile Chrysippo possent resistere. cum enim concessissent, motum nullum esse sine causa; non concederent, omnia, quae fierent, fieri causis antecedentibus: uoluntatis enim nostrae non esse causas externas, & antecedentes. communi igitur consuetudine sermonis abutimur, cum ita dicimus, uelle aliquid quempiam, aut nolle sine causa. ita enim dicimus, sine causa, ut dicamus, sine externa, & antecedente causa, non sine aliqua. ut, cum uas inane dicimus, non ita loquimur ut physici, quibus inane esse nihil placet; sed ita, ut, uerbi causa, sine aqua, sine uino, sine oleo uas esse dicamus: sic, cum, sine causa moueri, dicimus, sine antecedente, & externa causa moueri, non, omnino sine causa, dicimus. de ipsa atomo dici potest, cum per inane moueatur grauitate, & pondere, sine causa moueri, quia nulla causa accedat extrinsecus. rursus autem, ne omnes a physiciis irrideamur, si dicamus, quidquam fieri sine causa, distinguendum est, & ita dicendum, ipsius indiuidui hanc esse naturam, ut pondere, & grauitate moueatur, eamq. ipsam esse causam cur ita feratur. similiter ad animorum motus uoluntarios, non est requirenda externa causa. motus enim uoluntarius eam naturam in se ipse continet, ut sit in nostra potestate, nobisq. pareat: nec id sine causa: eius enim rei causa, ipsa natura est. quod cum ita sit; quid est, cur non omnis pronuntiatio aut uera, aut falsa sit? nisi concesserimus, fato fieri, quaecumque fiant. quia futura uera, inquit, non possunt esse ea, quae causas, cur futura, sint, non habent. habent igitur causas necesse est, ut ea, quae uera sunt, ita cum euenierint, fato euenierint.

EXPLANATIO

ALIA uideamus. z argumenta Stoicorum, quibus fatum probant. MOTVS sine causa z ut appetitio, & uoluntas, cuius motus est liber, antecedens causas necessitatem imponentes. EAM plagam z illam Epicuri sententiam. Metaphora sumpta a gladiatoribus, qui plagari malunt, quam letali uulnere laedi. tolerabilius autem est, cum Epicuro sentire, quam fatum recipere. ILLA sententia z Epicuri, negantis omnem enunciationem, aut ueram esse, aut falsam. ALIQUID disputationis z quaeri enim potest, quae sit uis illarum enunciationum. HAEC uero z quae fatum comprobant. VT enim Epicurus z Comparat Epicuri, & Chrysippi in hac disputatione metum. VERETVR z quod tamen uerendum non est, cum ex eo non sequatur fatum esse, ut superius dictum est. SIC Chrysippus metuit z & merito metuit. SED Epicurus z Tertium quendam motum, siue atomum excogitauit Epicurus, autecedentem scilicet causam, in qua fati, siue atomi pondus absque ea causa declinans, & plagam inferens ita cum oppositio, aequilibrat, & temperat, ut per eam uoluntatis libertatem retineat: id quod atomi, siue fati declinationem uocat. Tunc autem declinat absque plaga, quomodo atomus ipsa declinans, siue fatum, minimum quid distat a temperie, siue aequilibrio.

Ad

AD perpendicularum? recta linea. Perpendicularum enim est instrumentum, quo recta linea perpenditur ad mundi centrum tendens. **CORPORA individua?** Venit in mentem, haec duo uerba intrusa esse ab ijs, qui glossis, ut nunc uocant, omnia refererunt. quis enim non uidet subaudiri, Atomos, de quibus perspicue Cicero loquitur? Haec Paullus pater. **NE contingat quidem?** quia ambae atomi deorsum recta linea feruntur. **UT iam si sit atomus?** Particula, Si, quid hic habeat loci, non intelligo. quod si tollatur, fortasse nihil desiderabitur. Haec Paullus pater. **SINE causa?** Ita Epicurus appellabat sublimen aerem omnia ambientem, unde fortuitae pendunt causae, tamquam causam sine causa, a qua ipsa pendeat; hinc & principalem, antecedentem, atque externam nominauit. In libris de nat. deo. Sublimis aether Ioui tribuitur, ac menti. Quod igitur inferius dicitur, antecedentem causam non esse inclusam naturae, id ipsum est, quod Mercurium docuit Pimander mens diuina, scilicet, Non omnes homines mentem possidere: Deum autem iussisse, ut homo mentis particeps se ipsum animaduerteret. **HANC rationem?** hanc antecedentem causam, sine qua declinat atomus. **GRAVITATE?** ponderare. **NIHIL liberum?** In hanc sententiam ita Lucretius:

Denique, si semper motus connectitur omnis,
Et uetere exoritur semper nouus ordine certo,
Nec declinando faciunt primordia motus,
Principium quoddam, quod fati foedera rumpat,
Ex infinito ne causam causa sequatur,
Libera per terras, unde haec animantibus exstat?
Vnde est haec, inquam, fatis auulsa uoluntas?

DEMOCRITVS auctor atomorum? Sextus Emp. adu. math. auctor est, Posidonium Stoicum scripsisse Moschum Phoenicem fuisse atomorum auctorem. Laertius Lencippum fuisse praedicat. Cicero Democritum dicit, forte, quia eius imitator fuerit Epicurus. **ACCIPERE?** admittere. **NECESSITATE?** fato. **ACVTIVS?** subtilius. **CARNEADES?** Quattuor de Fato sententiae disputatae sunt, Posidonij, Chryssippi, Diodori Epicuri: quinta superest Carneadis, qui Chryssippi captiones damnat. **SVAM causam?** quae fatum tollit, & libertatem uoluntatis constituit. **CAVSAM reperire non possunt?** externam scilicet, antecedentem. **COMMVNI?** Prolepis pro Epicuro, quem dicerent Epicurei uulgi more locutum, cum dixisset, sine causa aliquid fieri, quod similitudine physica declaratur. **QVOD cum ita sit?** ut natura sit uoluntarij motus causa. **QVID est?** Dialogismus hic quidam est Carneadis, & Chryssippi. **INQVIT?** scilicet, Chryssippus.

CICERO

CONECTVM negotium, si quidem tibi concedendum est, aut fato omnia fieri, aut quidquam posse fieri sine causa. an aliter haec enunciatio uera esse non potest, capiet Numantiam Scipio, nisi ex aeternitate causa causam ferens hoc erit effectura? an hoc falsum potuisset esse, si esset sexcentis saeculis ante dictum? & si tum non esset uera haec enunciatio, capiet Numantiam Scipio; ne illa quidem enersa uera est haec enunciatio, capiet Numantiam Scipio, potest igitur quidquam factum esse, quod non uerum fuerit futurum esse. nam, ut praeterita ea uera dicimus, quorum superiore tempore uera fuerunt instantia; sic futura, quorum consequenti tempore uera erunt instantia, ea uera dicimus. nec, si omne enunciatum aut uerum, aut falsum est, sequitur ilico, esse causas immutabiles, easque aeternas, quae prohibeant quidquam secus cadere, atque casurum sit. fortuitae sunt causae, quae efficiant, ut uere dicantur, quae ita dicuntur; ueniet in senatum Cato; non inclusae in rerum natura, atque mundo. & tamen tam est immutabile uenturum, cum est uerum, quam uenisse; nec ob eam causam fatum, aut necessitas extimescenda est. etenim erit confiteri necesse, si haec enunciatio, ueniet in Tusculanum Hortensius, uerum non est; sequitur, ut falsum sit. quorum ista neutrum uolunt: quod fieri non potest. nec nos impedit illa ignaua ratio, quae dicitur. appellatur enim quidam a philosophis αἰσθησις: cui si pareamus, nihil omnino agamus in uita. sic enim interrogant: si fatum tibi est, ex hoc morbo conualescere; siue medicum adhibueris, siue non adhibueris, conualesces. item; si fatum tibi est

ex hoc morbo non conualescere; siue tu medicum adhibueris, siue non, conualesces. & alterutrum fatum est: medicum ergo adhibere nihil attinet. Recte genus hoc interrogationis ignauum, atque iners nominatum est, quod eadem ratione omnis e uita tolleretur actio. Licet etiam immutare, ut fati nomen non adiungas, & eandem tamen teneas sententiam, hoc modo. si ex aeternitate uerum hoc fuit, ex isto morbo conualesces; siue adhibueris medicum, siue non adhibueris, conualesces. itemque, si ex aeternitate hoc falsum fuit, ex isto morbo non conualesces; siue adhibueris medicum, siue non adhibueris, non conualesces: deinde cetera. Haec ratio a Chryssippo reprehenditur. quaedam enim sunt, inquit, in rebus simplicia, quaedam copulata. simplex est, morietur eo die Socrates. huic, siue quid fecerit, siue non fecerit, finitus est moriendi dies. at, si ita fatum sit, nascetur Oedipus Laio, non poterit dici, siue fuerit Laius cum muliere, siue non fuerit: copulata enim res est, & confatalis: sic enim appellat: quia ita fatum sit, & concubiturum cum uxore Laium, & ex ea Oedipum procreaturum. ut, si esset dictum, luctabitur Olympijs Milo; & referret aliquis, ergo, siue habuerit aduersarium, siue non habuerit, luctabitur: erraret: est enim copulatum, luctabitur, quia sine aduersario nulla luctatio est. omnes igitur istius generis captiones eodem modo reselluntur. siue tu adhibueris medicum, siue non adhibueris, conualesces. captiosum. tam enim est fatale medicum adhibere, quam conualescere. haec, ut dixi, confatalia ille appellat.

EXPLANATIO

CONFECTVM *negotium* ? Haec Carneades aduersus Chrysiippum. *SINE causa* ? quod tibi non conceditur. *CAVSSA causam ferens* ? hoc est, fatum, quod & hinc causarum series dicitur, quia iniucem causae sic constatae existimantur, uti ferreus anulus, qui ab altero uti magnetis affecto pendeat. quorum annulorum numerum satis magnum sic per ordinem pendere conspeximus, ut cathena uideretur. *AN hoc* ? Diodorus quarto loco huc reuocatur. Primus enim locus fuit Omne falsum impossibile, omne uerum necessarium: secundus de commutatione ueri. *SEXCENTIS* ? Pro innumeris Sexcenta Latini dicere solent. Cicero ad Atticum, Belli periculum, militum improbitas, sexcenta praeterea alia. *ET si cum* ? cum nondum esset euerla. *VERA est haec enunciatio*, ? quali dicat, non est uera. *POTEST igitur* ? quasi dicat, non potest. *INSTANTIA* ? praesentia. *AUT uerum, aut falsum est* ? ut persuadere nitebatur Chrysiippus. *ESSE causas immutabiles* ? id quod metuebat Epicurus. *FORTUITAE sunt* ? hoc est externae, & antecedentes, non inclusae in rerum natura, sine quibus est ipsa natura, atque mundus. *CVM est uerum* ? cum fortuita illa causa complexa est naturam, & facta naturalis. & hoc est, quod etiam Chrysiippus superius dixit. Si naturalis est causa, cur in mari Fabius non moriatur, in mari Fabius mori non potest. *VERVM non est* ? nam Cicerone haec condente iam mortuus erat. *ISTI* ? qui fatum statuunt, ut Chrysiippus, in eo, quod dissentit a magistro Cleanthe. *NEC nos* ? qui fatum ita statuimus, ut & supersit tertius motus, quo declinari fatum ualeamus. *QUIDAM* ? Syllogismus, qui proxime sequitur, scilicet, Si fatum tibi est, &c. ἀργος λόγος: ignaua ratio, sicut superius exposuerat Carneades. *INTERROGANT* ? Synecdoche est partis pro toto, interrogare enim pro disputare seu disserere dicitur. Interrogare autem uidetur, qui ea proponit, quibus respondendum sit. *FATVM est* ? Fato decretum, fixum, & ratum. *EADEM ratione* ? quae ad omnem rem gerendam accommodari potest. *DEINDE cetera*, ? licebit eadem ratione enunciare quaecumque nolueris ad tollendam e uita omnem actionem. *HAEC ratio* ? quae ignaua dicitur, quia tollit e uita omnem actionem. *A Chrysiippo reprehenditur*, ? qui a Cleanthe fatum asserente dissentiebat, ut fortuitas causas retineret, quamquam ita dissentiebat, ut non uideret in qua causa consisteret. *OEDIPVS* ? Oedipus natus est ex Laio & Iocasta, quem responderat Apollo parris interfectorem futurum. Ergo infans iussu patris expositus est, ut transfixis pedibus in arbore suspensus. Hinc dicitur Oedipus a tumore pedum. Hic postea patrem interfecit, ac matrem uxorem duxit. *FVERIT cum muliere* ? pro, Rem habuerit cum muliere, honeste, & uerecunde dicebant Romani, ut auctor est Varro. *OLYMPIA* ? Ita dicebantur certamina Ioui sacra in monte Olympo quinto quoque anno celebrari solita. *MILO* ? Crotoniates athleta, de quo uide Plin. lib. vii. cap. 20. *REFERRET* ? responderet. *REFELLVNTVR* ? reprehenduntur.

CICERO

CARNEADES genus hoc totum non probabat, & nimis inconsiderate concludi hanc rationem putabat: itaque premebat alio modo, nec ullam adhibebat calumniam: cuius erat haec conclusio. si omnia antecedentibus causis fiunt, omnia naturali colligatione conserte, contexteq. fiunt. quod si ita est, omnia necessitas efficit. id si uerum est, nihil est in nostra potestate. est autem aliquid in nostra potestate. ac, si omnia fato fiunt, omnia causis antecedentibus fiunt. non igitur fato fiunt, quaecumque fiunt. haec arrius adstringi ratio non potest. nam, si quis uelit idem referre, atque ita dicere; si omne futurum ex aeternitate uerum est, ut ita certe eueniat, quemadmodum sit futurum, omnia colligatione naturali conserte, contexteq. fieri nihil dicat: multum enim differt, utrum causa naturalis ex aeternitate futura uera efficiat, an etiam sine aeternitate naturali, futura quae sint, ea uera esse possint intelligi. itaque dicebat Carneades, ne Apollinem quidem futura posse dicere, nisi ea, quorum causas natura ita contineret, ut ea fieri necesse esset. quid enim spectans deus ipse diceret, Marcellum eum, qui ter consul fuit, in mari esse periturum ? erat hoc quidem uerum ex aeternitate, sed causas id efficientes non habebat. ita ne praeterita quidem ea, quorum nulla signa tamquam uestigia exstarent, Apollini nota esse censebat: quominus futura: causis enim

efficientibus quamque rem cognitis, posse denique sciri quid futurum esset: ergo nec de Oedipo potuisse Apollinem praedicere, nullis in rerum natura causis praepositis, cur ab eo patrem interfici necesse esset: nec quidquam eiusmodi. quocirca, si Stoicis, qui omnia fato fieri dicunt, consentaneum est huiusmodi oracula, ceteraque, quae ad diuinationem pertinent, comprobare; ijs autem, qui, quae futura sunt, ea uera esse ex aeternitate dicunt, non idem dicendum est: ut de, ne non eadem sit illorum causa, & Stoicorum. hi enim urgentur angustijs: illorum ratio soluta, ac libera est. quod si concedatur nihil posse euenire nisi causa antecedente: quid proficiatur, si ea causa non ex aeternis causis apta ducatur? causa autem ea est, quae id efficit, cuius est causa, ut uulnus mortis, cruditas morbi, ignis arderis. itaque non sic causa intelligi debet, ut, quod cuique antecedit, id ei causa sit, sed quod cuique efficienter antecedit: nec, quod in campum descenderim, id fuisse causas, cur pila luderem: nec Hecubam causam interitus fuisse Troianis, quod Alexandrum genuerit: nec Tyndareum Agamemnoni, quod Clytemnestram. hoc enim modo uiator quoque bene uestitus causa grasfatori fuisse diceretur, cur ab eo spoliaretur. ex hoc genere illud est Ennij, Vinam ne in nemore Pelio securibus Caesa cecidisset abiegnata ad terram trabes.

licuit

sicut uel altius, utinā ne in Pelio nata ulla umquam
esset arbor; etiam supra, utinam ne esset mons ullus
Pelius: similiterq. superiora repetentem regredi infi-
nite licet.
Ne ne inde nauis inchoandae exordium
Cepisset.

quorsum haec praeterita? quia sequitur illud,
Nam numquam hera errans mea, domo efferret pe-
dem.
Medea animo aegro, amore saeuo saucia;
non ut haec res causam afferrent amoris.

EXPLANATIO

CARNEADES? Improbat Carneades rationem ignauam, NEC ullam adhibebat calumniam: & ueluti
Chrysiippus, qui rationem ipsam captiosam dicebat. CONCLUSIO? Summa eorum, quae dicebat,
tam pro aduersarijs, quam pro se ipso. SI omnia? haec pro aduersarijs. EST autem? responsio Carneadis,
remouentis conclusionem ex antecedentibus causis, ut ea remota remoueantur, & causae. OMNIA ex an-
tecedentibus causis fiunt? ut uolent aduersarij. ARTIUS? strictius: translatio a falsibus, qui uinculis ad-
stringuntur. REFERRE? retorquere. MARCELLVM? Cicero lib. I. r. de Diuinat. Ut si quis M. Marcellum
illum, qui ter consul fuit, multis annis ante dixisset esse naufragio periturum, diuinasset profecto. DENIQUE?
tam demum. QUOCIRCA? colligit omnia esse liberiora Diodoreis, quam Stoicis, non enim illis necesse est
oracula approbare, sicut est Stoicis si sibi constare uelint. Non ex aeternis causis, quae principales, & ante-
cedentes sunt. QUAE id efficit, cuius est causa? quae proxime antecedit effectum suum. IN campum de-
scenderim? in campum Martium, ubi se exercebat Romana iuuentus. Cicero de Orat. Ut in illum Titium,
qui, cum studiose pila luderet, & idem signa sacra noctu frangere putaretur, gregalesq. cur in campum non
uenisset requirerent, excusauit Vesta Terentius, quod eum brachium fregisse diceret. Mars Romanis summo
cultu uenerabatur, quod existimarent parentem ipsum fuisse Romuli. Ab *apud* M, litteram addendo quidam
dicunt. Certe ab *apud* summum Athenienses de capite iudicium Areopagum, id est Martis pagum
uocauerunt, & in eo iudices Areopagitae. HECUBAM? Priami uxorem, quae praegnans somniauit
accensam faciem se parere, quae patriam totam inflammaret. ALEXANDRVM? qui rapta Helena Troiae ex-
cidij causa fuit. TYNDARERVM? Tyndarus rex Oebaliae uir Laedae, Tyndareus etiam dicitur. Ouid.
VII. Epist.

Me tibi Tyndareus uita grauis & auctor & annis
Tradidit.

CLYTEMNESTRAM? quae Agamemnonem maritum, ab Aegyltho Agamemnonem adultero interficien-
dum curauit.

CICERO

INTERESSE autem aiunt, utrum eiusmodi quid sit, sine quo aliquid effici non possit; an eiusmodi, cum
quo aliquid effici necesse sit. nulla igitur earum caus
fa est, quoniam nulla earum rerum sua uel efficit id,
cuius dicitur causa: nec id, sine quo quippiam non
fit, causa est; sed id, quod cum accessit, id, cuius
causa est, efficit necessario: non dum enim ulcera-
to serpentis morsu Philocteta, quae causa in re-
rum natura continebatur, fore, ut is in insula Lemno
linqueretur? post autem causa fuit propior, & cum
exitu iunctior. ratio igitur euentus aperit causam:
sed ex aeternitate uera fuit haec enunciatio, relin-
quetur in insula Lemno Philoctetes: nec hoc ex uero
in falsum poterat conuerti: necesse est enim in rebus
contrarijs duabus (contraria autem hoc loco ea di-
co, quorum alterum ait quid, alterum negat) ex his
igitur necesse est inuito Epicuro alterum uerum es-
se, alterum falsum: ut, sauciabitur Philoctetes, om-
nibus ante saeculis uerum fuit, non sauciabitur, fal-
sum. nisi forte uolumus Epicureorum opinionem se-
qui, qui tales enunciationes nec ueras, nec falsas es-
se dicunt: aut, cum id pudet, illud tamen dicunt,
quod est impudentius, ueras esse ex contrarijs disun-
ctiōnes; sed quae in his enunciata essent, eorum neu-
trum esse uerum. O admirabilem licentiam, & mi-
serabilem incertam disferendi. si enim aliquid in elo-
quendo nec uerum, nec falsum est, certe id uerum

non est. quod autem uerum non est, qui potest non
falsum esse? aut quod falsum non est, qui potest
non uerum esse? tenebitur id, quod a Chrysiippe
defenditur, omnem enunciationem aut ueraat,
aut falsam esse, ratio ipsa coget, & ex aeterni-
tate quaedam uera esse, & ea non esse nexa caus-
is aeternis, & a fati necessitate esse libera. AC
mihi quidem uidetur, cum duae sententiae fuis-
sent ueterum philosophorum, una eorum, qui censerent
omnia ita fato fieri, ut id fatum uim necessitatis af-
ferret, in qua sententia Democritus, Heraclitus, Em-
pedocles, Aristoteles fuit; altera eorum, quibus uide-
rentur sine ullo fato esse animorum motus uolunta-
rij; Chrysiippus, tamquam arbiter honorarius, mediū
ferire uoluisse, sed applicat se ad eos potius, qui ne-
cessitate motus animos liberatos uolunt. dū autē uer-
bis utitur suis, delabitur in eas difficultates, ut ne-
cessitatem fati cōfirmet inuitus. atque hoc, si placet,
quale sit, uideamus in assensionibus, quas prima ora-
tione tractaui. eas enim ueteres illi, quibus omnia fa-
to fieri uidebantur, uel effici, & necessitate dicebant:
qui autem ab his dissentiebant, fato assensiones libe-
rabant; negabantque, fato assensionibus adhibito,
necessitatem ab his posse remoueri: uel ita disferen-
bant. Si omnia fato fiunt, omnia fiunt antecessente
causa: & si appetitus, illa etiam, quae appetitum se-
quuntur, ergo etiam assensiones. at, si causa appeti-
tus

tus non est sita in nobis, ne ipse quidem appetitus est in nostra potestate. quod si ita est, ne illa quidem, quae appetitu efficiuntur, sunt sita in nobis: non sunt igitur neque assensiones, neque actiones in nostra po-

testate: ex quo efficitur, ut neque laudationes iustae sint, nec uituperationes, nec honores, nec supplicia, quod cum uitiosum sit, probabiliter concludi putant, non omnia fato fieri, quaecumque fiant.

EXPLANATIO

SERPENTIS *morfu* ? Alij a serpente ulceratum Philocterem scribunt: alij cecidisse in eius pedem sagittam Hydrae cruore imbutam. **POST** *autem* ? Posteaquam Lemnum uenit in expeditione belli Troiani. **LEMNO** ? Insula est Aegei maris, ubi Vulcanus colebatur, ab Oriente Troiam spectat, ab Occasu Athon, a Borea Thraciam, ab Austro Cretam. **RATIO** *igitur* ? Scimus enim, quod ex euentu relictus sit in Lemno. **AT** *quid*, ? Affirmat. **ALTERVM** *uerum &c.* ? Ita in superioribus arguebat Diodorus. **TALES** *enunciatio-* **nes** ? quae de futuro aliquid dicunt, quod fieri possit, aut non possit. **EX** *contrarijs* ? Sauciabitur, aut, Non sauciabitur Philoctetes, uerum dicebant: nec tamen Sauciabitur, uerum, nec Non sauciabitur, falsum. **IN** *loquendo* ? in enunciando. **TENEBITVR** ? Concludit contra Epicurum omnem enunciationem esse ueram, aut falsam. **Ac mihi** ? Declarat plenius Chrysippi sententiam Fatum probantis, necessitatem tamen impro- bantis, ad eamque rem ponuntur contrariae ueterum sententiae, quarum medium Chrysippus sequi uoluit. **ARISTOTELES** ? Aut hoc nomen est corruptum; aut alios, qui non exstant, Cicero legit Aristote- lis libros. nam in his quidem, quos habemus, non haec, sed ea, quae sequitur sententia defenditur. **TAM-** **quam** *arbitrarius* ? is est, quem litigantes honoris causa delegerunt disceptatorem controuersiae suae. Haec forensis similitudo declarat, a Chrysippo neutram ueterum sententiarum penitus damnatam, nec omnino etiam probatam esse. **MEDIUM** *ferire* ? Fati necessitatem, quasi Gordianum nodum Chry- sippus discindere uoluit; sed in eorum tamen est sententiam propensior, qui uoluntatis motus liberos non coactos putant, cum in Fato necessitatem non ponat, sed propensionem, & inclinationem. **DVM** *uerbis utitur suis* ? dum ipse de ui, & potestate Fati disserit. **IN** *assensionibus*, ? in enunciatis, quae ip- se approbat. **VI** *effici* ? ui fatali, quae scilicet contagio naturae afficit, & efficit omnia. **DISSEREBANT** ? argumentabantur. **ET**, *si appetitus* ? subaudi, sunt. Appetitus a Graecis dicitur *ορεσις*, Cice- ro in II. Academ. Nam aliter, inquit, appetitio (eam enim esse uolumus *ορεσιν*) qua ad agendum impel- limur, & id appetimus, quod est uisum, moueri non potest. **ILLA** *etiam* ? subaudi, sunt. **ETIAM** *as-* **ensiones** ? approbationes consensus, quae appetitum sequuntur: nam antequam agamus, id approba- mus. **NON** *est sita in nobis* ? quia pendeat a fato. **QVOD** *cum uitiosum sit*, ? Fomentum sit uitiorum nullatenus ferendum.

CICERO

CHRYSIPPVS *autem* cum et necessitatem impro- bare, et nihil uellet sine praepositis causis eue- nire, causarum genera distinguit, ut et necessitate effugiat, & retineat fatum. causarum enim, inquit, aliae sunt perfectae, & principales, aliae adiu- uantes, & proximae. quamobrem, cum dicimus om- nia fato fieri antecedentibus; non intelligi uolumus, causis perfectis, & principalibus, sed causis ante- cedentibus adiuuantibus, & proximis. itaque illi ra- tioni, quam paullo ante conclusi, sic occurrit; si om- nia fato fiant, sequi illud quidem, ut omnia causis fiant ante positis, uerum non principalibus causis, & perfectis, sed adiuuantibus, & proximis. quae si ipsae non sint in nostra potestate, non sequitur, ut ne appetitus quidem sit in nostra potestate: at hoc sequeretur, si omnia perfectis, & principalibus cau- sis fieri diceremus, ut cum hae causae non essent in nostra potestate, ne ille quidem esset in nostra pote- state. quamobrem, qui ita fatum introducunt, ut ne- cessitatem adiungant, in eos ualebit illa conclusio: qui autem causas antecedentes non dicunt perfectas, neque principales, in eos nihil ualebit: quod enim di- cantur assensiones fieri causis ante positis, id quale sit, facile a se explicari putant. nam, quamquam as- sensio non possit fieri nisi commota uiso: tamen, cum id uisum proximam causam habeat, non princi-

palem, hanc habet rationem, ut Chrysippus uult, qua- dudum diximus, non ut illa quidem fieri possit nulla ui extrinsecus excitata, (neesse est enim assensio- nem uiso commoueri) sed reuertitur ad cylindrum, & turbinem suum, quae moueri incipere, nisi pulsa, non possunt: id autem cum accidit, suapte natu- ra, quod superest, & cylindrum uolui, & uersari turbinem putat. ut igitur, inquit, qui protrusit cy- lindrum, dedit ei principium motionis, uoluntaria- tem autem non dedit: sic uisum obiectum imprimet il- lud quidem, et speciem suam quasi signabit in animo, sed assensio nostra erit in potestate, eaque, quae modo in cylindro dictum est, extrinsecus pulsa, quod reliquum est, suapte ui, & natura mouebitur. quod si aliqua res efficeretur sine causa antecedente, falsum esset, omnia fato fieri. sin omnibus, quaecumque fiunt, uerisimile est causam antecedere; quid afferri poterit, cur non omnia fato fieri fatendum sit? modo intelligatur, quae sit causarum distinctio, ac dissimili- tudo. Haec cum ita sint a Chrysippo explicatas, illi, qui negant assensiones fato fieri, fateantur tamen eas non sine uiso antecedere fieri, alia ratio est: sed, si coe- dunt anteire uisa, nec tamen fato fieri assensiones, quod proxima illa, & continens causa non moueat assen- sionem; uide, ne idem dicant. neque enim Chrysip- pus, concedens assensionis proximam, & continens causam

causam esse in uiso positam, eam causam esse ad assentiendum necessariam concedet, ut, si omnia fato fiant, omnia fiant causis antecedentibus, & necessariis: itemque illi, qui ab hoc dissentiant, confitentur non fieri assensiones sine praecursione uisorum, dicent, si omnia fato fierent eiusmodi, ut nihil fieret nisi praegressione causae, confitentur esse fato fieri omnia, ex quo facile intellectu est, cum utriusque patefacta, atque explicata sententia sua, ad eundem exitum ueniant, uerbis eos, non re, dissidere. omninoque cum haec sit distinctio,

ut quibusdam in rebus uere dici possit, cum haec causae antegressae sint, non esse in nostra potestate, quin illa eueniant, quorum causae fuerint: quibusdam autem in rebus, causis antegressis, in nostra tamen esse potestate, ut illud aliter eueniat; hanc distinctionem utriusque approbant: sed alteri sentent, quibus in rebus cum causae antecesserint, non sit in nostra potestate, ut aliter illa eueniant, illas fato fieri: quae autem in nostra potestate sint, ab his fatum abesse.

EXPLANATIO

CHRYSIPPVS autem Declarat, quid Chrysippus inter ueteres medium sequatur. SINE praepositis & sine antecedentibus. CAUSIS perfectis, & principalibus & ex quibus scilicet confurgit tertius ille motus, quo Epicurus fatum declinare studebat, quia non sunt inclusae in rerum natura, atque mundo. ALIAE adiuuantes, & proximae & eae scilicet, ex quibus confurgunt duo illi oppositi motus, qui fiunt sursum, & deorsum infra supremam causam, quam inanitatem nominat, ut in praecedentibus habetur. ILLI rationi & illi ratiocinationi, Si omnia fato fiunt, &c. QVAE si ipsae non sint & quae principales causae iam dictae, quamuis non sint. CVM haec causae & principales. INTRODUCUNT, & nimirum proximis causis. NE illae quidem & appetitus. ILLA conclusio: & Non sunt assensiones, neque actiones in nostra potestate, &c. COMMOTA uiso: & ui cogitativa, quae species, seu imagines effingit. quam ΠΑΥΤΑΣΙΑ Graeci nominant. ID uisum & ipsa uis commouens. NON ut illa & scilicet, assensio. SED reuertitur, &c. & Ad peculiare suum exemplum cylindri, ac turbinis, reuertitur Chrysippus, ut ostendar, quod & nos diximus, scilicet assensionem extrinsecus commoueri. CYLINDRVM & Cylindrus est lignea Columella teres, cuius usus in ludo: nam prona in terram iacitur, ut suo circulari motu introrsum pellat, & deiciat ligneas columellas ad circuli circumferentiam erectas. iacitur enim extra circulum. sed ad ipsum paulatim declinat. Ab hac similitudine gemmae pretiosiores nominantur Cylindri. Plinius ultimo lib. de naturali hist. de Berillis scribens, Ideo, inquit, cylindros ex his facere malunt, quam gemmas, quoniam est summa commendatio in longitudine. Consimiliter Solinus idem tradens ait: Indici reges hoc genus gemmarum in longissimos Cylindros amant fingere. Est etiam Cylindrus instrumentum rusticum terrae aequandae paratum, de quo poeta,

Area tum primum est ingenti aequanda Cylindro.

Anaximander uero dixit terram esse formae Cylindraceae. TURBINEM & Turbo est pyramidale lignum pueris familiare, quod euerfium quamdiu loris uerberant circulariter mouetur. QVOD superest & deinceps. QVAST signabit & Ductum ab anulis signatorijs speciem in cera signantibus. DISTINCTIO & ut quaedam sint principales, & quaedam adiuuantes. Ac dissimilitudo & nam ex adiuuantibus causis tantum fatum textur. NEGANT fato fieri, & quia uelint esse liberas. ALIA ratio est; & non enim uerbis tantum, sed re etiam dissentient. EAM causam & proximam, & continentem. OMNINOQUE & Repetit distinctionem causarum principalium, & adiuuantium. SED alteri, & scilicet, qui dissentiunt a Chrysippo. AB his & subaudi, censet Chrysippus.

CICERO

HOC modo hanc causam disceptari oportet, non ab atomis errantibus, & de uia declinantibus praesidium petere. Declinat, inquit, atomus. primum cur & aliam enim quandam uim motus habebunt a Democrito impulsiois, quam plagam ille appellat, a te Epicure grauitatis, & ponderis. quae ergo noua causa in natura est, quae declinet atomum? aut num sortiuntur inter se, quae declinet, quae non? aut cur minimo declinent interuallo, maiore non? aut cur declinent uno minimo, non declinent duobus, aut tribus? optare hoc quidem est, non disputare. nam neque extrinsecus impulsam atomum loco moueri, & declinare dicis: neque in illo inani, per quod feratur atomus, quidquam fuisse causae, cur ea non e regione ferretur: nec in ipsa atomo mutationis aliquid factum est, quamobrem naturalem sui ponderis motum non teneret. ita, cum attulisset nullam

causam, quae istam declinationem efficeret; tamen aliquid sibi dicere uidetur; cum id dicat, quod omnium mentes aspernentur, ac respuant. Nec uero quisquam magis confirmare mihi uidetur non modo fatum, uerum etiam necessitatem, & uim omnium rerum, sustulisseque motus animi uoluntarios, quam hic, qui aliter obsistere fato fatetur, se non potuisse, nisi ad has convenientias declinationes confugisset. nam, ut essent atomi, quas quidem esse mihi probari nullo modo potest: tamen declinationes istae numquam expliarentur. nam, si atomis, ut grauitate ferantur, tribuere est necessitate naturae; quod omne pondus, nulla re impediente, moueatur, & feratur necesse est: illud quoque necesse est, declinare quibusdam atomis, uel, si uolunt, omnibus, naturaliter.

Multa desunt.

EXPLA-

EXPLANATIO

HOC modo Conclufa superiorum concordia reuertitur ad Epicurum, & eius modum philofophandi infectatur. **IN**QUIT ꝯcilicet, Epicurus. **PL**AGA ꝯpponitur ponderi: & ambo funt motus. Ideo fuperius inquit Cicero. Tertius quidam motus oritur extra pondus, & plagam. Pondus etiam eſt naturalis motus, qui declinat, & promde idem quod fatum, ut patet ex illis Ciceronis uerbis paullo fuperius dictis, nimirum, Plagam potius accipiam, quam fati omnia fieri comprobem. **SORTI**VNTVR inter fe ꝯ Alluſio ad fortes, quibus communi confenſu uniuerſus terrarum orbis diuiſus fingitur inter Iouem, Neptunum, & Plutonem. **OPTARE** ꝯ Volentis alicuius, & optantis pronunciatum hoc eſſe uidetur, non autem diſputantis. Ita in Lucullo: Somnia cenſet haec eſſe Democriti, non docentis, ſed optantis. & ii. Tuſc. Optare hoc quidem eſt, non docere. **IN** illo inani, ꝯ in uacuo ſpatio. **E regione ferietur** ꝯ adſcenderet, ſic enim fuperius, Cum duo indiuidua per inanitatem ferantur, alterum e regione moueatur, alterum declinet. **Cum attuliſet nullam cauſam** ꝯ Tertium ſcilicet motum, qui eſt extra plagam, & pondus. Hunc enim motum, quia proficiſcitur a ſupremo ambitu, quem inanitatem uocauit. Nullam cauſam Epicurus more ſuo nominat, ſibi quidem ſapientis, ſed reliquis impoſituram faciens huiusmodi ludicriſ. **ALI**QV I D ſibi dicere uide-
 tur ꝯ Vnde ſcilicet fati declinatio fieret. **Cum hoc dicat, quod omnium mentes aſpernarentur.** ꝯ Ratio haec eſt, cur Epicurum inuehat Cicero: Merito autem, reprehendi, & conemni ſolent, qui in rebus ſeriſſima dicunt, ut ſibi ipſi tantum dicere uoluſſe uideantur, & ſuis interim inuolucris alijs negotium facere.

C I C E R O



PERILLVSTRI
COMITI
ALFONSO. BECCARIAE



QVOD maxime mihi erat in optatis, ut aliquam Tibi gratiam referrem, pro multis in me collatis officijs, id nunc euenisse uehementer laetor. Cum enim Papiam superiore anno uenissem, ut illustrem multis nominibus Urbem uiserem, & Bartholomaeum Capram, Octauianumq. Ferrarium, quos uiros Patris mei testimonio iamdiu colebam, alloqui, eorumq. suauissima consuetudine frui mihi concessum esset; dici uix potest, quantum ornamenti accessisse mihi putarim, cum Tu, quae Tua singularis est humanitas, tam liberaliter Tuam mihi amicitiam detulisses. Ne me existimes hoc auribus Tuis dare. norunt, qui Te norunt, maximam in Te humanitatem conspici; &, cum ex ea Familia sis natus, ex qua Tot illustres Heroes, tamquam ex equo Troiano prodire, omnium fere maiorum Tuorum uirtutem in Te sitam. quofit, ut summam Tui nominis celebritatem non solum in celeberrima ista ciuitate, sed etiam apud exterar omnes gentes Tibi compararis. Totos dies recte agendo ducis. nihil Te, uel ex historia, humanae uitae uera custode, uel ex ijs legibus, quae nos bona sequi, mala uitare iubent, fugit. Opportune igitur peritissimo Legum omnium Alfonso Beccariae Commentarium in Ciceronis libros de Legibus dicandum statui. Ut exstet hoc de Tuis uirtutibus, si non quale cupio, aliquod tamen testimonium. Erit fortasse, cum ingrati animi uitio me non laborare affirmabis. Laelium Gauardum, qui tamdiu a me abest, neque tamen, cum istic sit, abesse uidetur, mihi carum, Tibi non ingratum, cupio saluari meo nomine. Ab eius discessu, uel quod reditum properet, uel maximarum occupationum causa, adhuc litteras exspecto, quas tamen frequentes fore promiserat. reliqua Tute nosti, qui meos sensus, & meum in illum animum cognoscis. fac igitur,

Y - tur,